

DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigeſimâ menſis Martii, anno Domini M. DCC. LXX.

M. MARINO-JACOBO-CLARO ROBERT, S. Ducis Bipontini Archiatro, nec non à Conſiliis & ſecretis, Doctore Medico Præſide, Theſeos Autore.

An prægnantibus, parturientibus & puerperis nulla, aut ſaltem non niſi lenientia remedia.

I.



MULIER juncta viro liberos vulgò procreat. Quid ſit generatio? Quæſtio hæc adhuc craſſiori obvolvitur caligine; de hac re tamen ingenioſa finxit commenta celeberrimus D.D. *Buffon.* Veneris æſtu perciti mas & fæmina copulantur, inde naſcitur homo, illud eſt quod certiſſimum.

Embrio in utero conceptus creſcit in dies ac evolvitur, creſ-

cit quoque velut in immenſum expanſa uteri parietes craſſeſcentis cavitas. An nova ſuccreſcat parietibus ſubſtantia, nundum planè clareſcit : illud forſitan ab ipſâmet uteri ſubſtantiæ texturâ pendet phenomenum. Hæc eſt in virginibus pulpoſa, cellularis, compacta aut plicata : in prægnantibus tumens ac exſpanſilis. Huic opinioni ſuffragatur obſervatio mox ſequenda : aperto muliebri cadavere, repertus eſt uterus ſuâ magnitudine bis pugnum ſuperans, & ſtratim diſpoſitæ ac concretæ materiei cretaceæ mucoſæque præſentiâ induratus. Quantas heu ! Turbas in muliere, dum viveret, excitaverat hæc uteri læſio.

Vitâ gaudet peculiari uterus, exquiſito pollet ſenſu, appetit & averſatur, voluptuariâ phlogoſi nunnunquam turgeſcit, & motu movetur proprio.

Dum inſtat excretio critica narium, ſcintillant oculi, iiſdemque ruber obvertitur color : facies rutilo colore veluti imbuta aliquantis perintumeſcit, dolor adeſt capitis, intus pruriunt nares ac inflantur : niſum hæmorrhoidalem comitantur ejuſdem proſapiæ ſymptomata : ſæviori regio lumbaris diſcruciatur dolore, qui ſæpiùs diverſas ventris partes perambulat ; quædam adeſt ventris inflatio, premit egerendi cupido, quæ eſt teneſmi ſpecies. Caput, mammas, pectus, ſtomachum, renes, quid ? Totum corpus turbat fluxus muliebris imminens. Singulæ ergo corporis partes uteri imperio ſunt ſubditæ.

Intimos narium receſſus, in inſtante criſis, uberiori humorum proventu irrigari quis inficias ibit ? Tota illud probat, quibus ſtipatur, ſymptomatum caterva. Fluxum menſtrualem, ut motum criticum meritò habuit Sthalius : unde concludere pronum eſt ſanguinis congerie turgere uteri parietes, & levi, dum inſtant menſes, tentari inflammatione.

Uterus, toto geſtationis tempore, jugiter laborat ac movetur, quâ quidem de cauſâ in illum confluunt humores : motu itaque perenni & continuo humorum affluxu uteri parietes craſſeſcere & augeri neceſſe eſt.

I I.

TAM multiplici ægritudinum ſpecie conflictatur plerumque mulier prægnans, ut totum geſtationis tempus judicares omninò morboſum. Ubi primus elapſus eſt menſis, multifaria ingruunt ſymptomata. Vel perit appetitus, vel imminuitur, circa res ingratas etiamnùm verſatur ; nauſææ ſubrepunt, & veluti ciborum onere laceſſitus ſumptos illos rejicit Stomachus. Suas partes agit

quoque in hâc tragædiâ colum inteſtinum : inflatur pars illius maxima Stomacho ſubrepens, & tota inde epigaſtrica regio diſtenſa oculis obverſatur; repellit ſurſùm draphragma ad pulmones hæc inflatio, inde reſpirationis anguſtia, ſuffocatio, conſtrictio gutturis, vertigines, ſyncope, aliaque, quibus ſæpius heu ! Affligitur mulier prægnans. Quædam renes dilacerari conqueruntur : autumant multæ uterum è ſede ſuâ dimotum, ſub formâ globuli, in diverſas ventris partes volutari, & ad Stomachum aſcendere, in aliis pedes ædematoſi tumeſcunt, & circùm ani marginem tumores pro minent hæmorrhoidales. Hæc diverſa, diverſis geſtationis temporibus, ſuboriuntur.

Ex uno eodemque fonte (utero) Scaturiunt hæc ſymptomata. Maximum uteri molimen, in efformandis embrione & membranis, præſupponere non abſonum eſt. Fœtus in utero contentus mole ſuâ illum ſuſcitat, hicque novi hoſpitis præſentiâ veluti recreatus exultat, movetur, & natura cogitur in illud eximium opus præcipuas vires impendere : agitatur ſiſtema nervoſum, vis tonica major proinde diverſis inducitur corporis partibus. Spaſticæ motiones ſparſim oriuntur, & ex irregulari motu neceſſariò peſſundantur organorum quorumdam functiones.

Perennis eſt labor, quo uterus ſanguinem è diverſis partibus irruentem excipit, præparat, ac infantis nutrimentum, placentæ tranſmittit. Numquid valet prætereà uterus, mole ſuâ auctâ, varias in corpore tragædias excitare. Ille, creſcente fœtu, è pelvi minori in majorem exſurgit, in quo per totum geſtationis ſtadium hæret. Viciniora organa è ſede dimovet ac premit, unde procellæ, non niſi conſuetudinis vi quâdam finiendæ; quandoque tamen altiùs exſurgens premit ſtomachum, obſtat liberiori diaphragmatis deorſum deſcenſui, quâ de cauſâ vomunt prægnantes ad uſque fœtùs excluſionem, & alimenta paucè devorata ægrè digerunt : anxietatibus uſquè vexantur. Ex utero igitur vividiùs agente ac premente fortiùs naſcuntur pleraque ſymptomata in muliere prægnante obſervanda.

Inde patet quantus ſit illorum error, qui, præjudicio indulgentes, hæc diverſa repetunt a plæthora, & quatèr, quinquiès, ſexiès, in unâ geſtatione celebrandam venæ ſectionem opinantur. Perperàm quoque agunt, qui, ſaburram incuſantes, ad illa ſymptomata debellanda purgantium vim extollunt.

Ceu diverſa organa ad libellam componantur, ceu natura ſenſim huic oneri fuerit aſſuefacta, circà quartum geſtationis menſem

minus sæviunt hac symptomata. Attamen, quod manifestam involvit contradictionem, mos est receptus in quarti mensis decursu prægnantibus sanguinem mittere. An licet tunc temporis plæthoram suspicari? Primo trimestri vix alimenta assumit mulier prægnans & sæpissimè vomitu rejicit. Vix superest ergò sanguinis quantitas menbranis & embryoni efformandis sufficiens. Venæ sectio itaque maximum matri & fœtui infert damnum, utriusque enim vires exhaurit; deinque languidè vivunt ambo.

Hos cruciatus sublevant ac præcavent exercitia ac animi constantia. Sic feliciter enixæ sunt mulieres, quæ, anteà venæ sectionibus repetitis fuerant assuefactæ. Hùc collimare semicupia suadet observatio, quam sors obtulerat. Puella mensium suppressionem passa est: usum balneorum pro sanitate restituenda, meo consilio adhibuit, hâc ope sublevata sunt symptomata. Interim crescebat ventris tumefactio, nono mense infantem, absque ullo salutis damno, peperit.

III.

LEX est ferè constans, nec nisi raró varianda, partum naturalem, novem mensium spatio, circumscribi. Non diffiteor tamen illum in decimum usquè mensem & ultrà differri posse. Parturitionis mense decimo factæ observationem in opere ann. 1766. edito ipse retuli & rationum momenta adduxi, quibus fulcitur illa opinio. Partum ab ipso nisu uteri fluxum menstrualem molientis pendere excogitavit *D. D. Buffon*. Requidem verâ in ipsâ menstruorum periodo parturiunt prægnantes. An non uteri parietes sanguine sensim aggesto ingurgitatæ naturæ sunt impedimenta, quibus illa in maximos cietur conatus.

Partùm præcurrunt ac comitantur sævi cruciatus, ingens uteri molimen indicat pulsus raro & quasi duplicato motu digitum feriens. Tumque diversæ corporis partes, fœdere veluti facto, in illud opus vires collectas insumunt. Ex hac causâ nasci dolores verosimillimum est, non verò ab uteri cervicis dilatatione. Hi etenim dolores à renibus orti in imum ventrem decurrunt, ut circà pubem evanescant. Non statim, excluso fœtu, vexare desinunt dolores; urgent post partum ac recrudescunt, vocanturque dolores post partum. Illarum recrudescentia pendet ex uteri nisu, qui sanguinem in parietibus contentum & ex diversis partibus allabentem excutere allaborat, Unde conjicere licet doloribus post partum natales non præbere uteri cervicis dilatationem, Vix forás fuit eliminata sanguinis copia in utero congesta, cùm natura aliorsum castra movens novum opus in mammis aggreditur, Tota in hoc organo lactis

confectioni intenditur. Ex summo hocce labore excandescit febris species, febris lactea vulgo nuncupata. Ea autem est uterum inter & mammas necessitudo, ut dùm in lacte præparando occupatæ, tumescunt, distenduntur ac dolent mammæ, nullus, aut levis saltem in utero persentiatur cruciatus. Imminuitur etiam lochiorum materies dein lactis mixtione augenda, quæque naturali, nec nisi post quadraginta circiter dies cohibendo rivulo, effluit.

I V.

USUS invaluit apud Gallos, & præsertim Lutetiæ Parisiorum, parturientium venam secare; eo nempe proposito, ut partus citiùs ac feliciùs succedat. Eâdem spe ducti balnea imperant Poloni, nec quidem suam eorum spem fefellit eventus. Mirum quantum emolumenti ex balneoruum usu percipiant nephreticis doloribus discruciati ægrotantes. Illa citæ ac faciliori calculorum expulsioni favent: motus solvunt spasmodicos, & dolores sublevant ex irregulari motu oriundos, nec nisi levissima post se trahunt incommoda. Laxat quidem venæ sectio, at vires imminuendo, & repetita ab opere præcipuo divellit naturam. Quid verò præstat auxilia, si ritè procedit partus, adhibere: feliciora ac tutiora promittit prudens cunctatio. Nonne, absque venæ sectionibus, feliciter parturiunt ruris incolæ mulieres? utque exempla apud pecudum genus desumamus, an mittetur sanguis jumentis, vaccis, asininis aliisque parturientibus? solâ vi naturæ foràs exit fœtus, nisi libero exitui obstiterit ejusdem in utero situs. Sola tunc temporis opem conferret perita obstetricis manus.

Nimis operosè agunt, qui puerperas omnis generis medicamentorum farragine obruere non erubescunt. Dùm salina, aliaque ex irritantium familiâ deprompta illis ingerunt, motus turbant naturales, & crudelia quandoque accersunt symptomata. Urinas ciere, provocare sudores, alvum irritare non sunt è naturæ votis. Incassum dolores post partum penitus tollere ac avertere tentant: illi siquidem ab ipsis naturæ motibus vividis ac necessariis ortum ducunt. Non nisi ingenti uteri molimine expellitur sanguis in illius textu cespitans. Quantus sit autem hujus organi nisus evacuatorius ex crassissimis uno lapsu erumpentibus coagulis dijudicare licet. Annotatum est quoque doloribus mammarum & febri consectariæ ansam dare lactis confectionem.

Sanguini lactique nova claustra reserare nefas est. Numquid feliciori fluxu per sinum muliebrem exiturire illos humores probant ratio junctaque experientia? quot enim & quanta oriuntur mala

ex momentaneâ lochiorum ſuppreſſione! Apud puerperas in ſpaſmos pronum eſt totum nervorum ſyſtema. Nociva ergo illis quæcunque cauſa nervos irritans, arcendi itaque florum odores, & vitanda animi pathemata. Minus ſuperbiant, qui primi ſubſtantias ſalinas imperare auſi ſunt millena pericula adducentes. Non minus infenſæ ſudoris proliciendi diverſæ methodi, quibus oppreſſa ac deflagrata natura munia ſua adimplere ceſſat. Humor lacteus, ſilente utero, in corpore deliteſcit, & procreat rubra exanthemata, mammarum indurationes, tormina ventris, capitis ac pectoris dolores acerbos, partium inflammationes & abceſſus. Inter plurima hujus generis exempla unum afferam aut alterum. Mulier enixa eſt; anxia in lecto hærebat ſtragulorum pondere penè ſuffocata, guttas ſorbebat inſuper; utque abundantior promanaret ſudor, concalefactum erat cubiculum; ſuppreſſo lochiorum fluxu rubra in corpore effloreſcunt exanthemata: caput dolet & opprimitur pectus: metu perculſa opem meam efflagitat. Ut è lecto quantò ocyùs ſurgat ac aerem ducat frigidiorem, Guttaſque removeat ſuadeo. Mox levantur ſymptomata, dein omninò evaneſcentia, nec tamen niſi tertio poſt partum menſe, rurſùs effluxerunt menſtrua. Eâdem pravâ methodo, alteri in mammis ſuboriuntur indurationes: meo conſilio utens illa hydromelite mammas fovet, ſolo ptiſanæ lenientis hauſtu reſtituitur lochiorum fluxus, emollitæ indurationes intra paucos dies evaneſcunt. Haud neſciunt quidem ſagaciſſimi naturæ obſervatores Medicina efficaciori effrenos reddi ac tumultuarios, apud puerperas, naturæ motus; blandâ verò lenientium vi frænari ac compeſci eoſdem. Quo uſque tandem provecta ſit de purgantium efficaciâ præjudicata opinio, declarat artis obſtetricariæ periti cujuſdam exclamatio. Ille dum, lintea puerperæ maximo lacteorum humorum proventu madida luſtraret, purgantia, ad humorum illorum revulſionem, omittere nonne piaculum eſt, inquit, ac veluti ſcelus?

V.

QUIDQUID dixerint benemulti, puerpera non offert niſi quid naturale; illud tantum peculiare eſt, quod motus ſint vividiores. Numquid ſanguis poſt fœtus excluſionem citò effluens ut menſium materies abundantior conſiderari poteſt? Et revera non ultrà temporis ſpatium menſibus à naturâ dicatum protenditur rubri fluxûs duratio. At ſoli imperiti mulieri menſes patienti medicamenta imperant, nec illi auferuntur alimenta. perperàm agunt igitur, qui in puerperis medicamentorum uſu

naturam exafperant, & omnimodâ ciborum fublatione illam debilitant. » In tenui victu delinquunt ægri, inquit Hippocrates; » ob id magis læduntur : omne enim delictum, quod committitur, multò magis fit (in tenui) quam in paulò pleniore victû; » propterea etiam fanis periculofus eft valde tenuis & conftitutus, & exquifitus victus. »

Strictam diætam puerperis nocivam effe fuadet ille Hippocratis aphorifmus. Partûs labore exhaufta neceffe eft ut reficiatur alimentis puerpera : fic ftomacho & inteftinis vis tonica fervatur ac imprimitur; unde feliciùs fua munia obeunt diverfa corporis organa. Sola nocere poteft nimia ciborum copia, pravaque eorum qualitas. Alimenta etiam non diffuadet modo pauca & blanda, febris ipfa lactea, præfertim, fi vehementer appetat puerpera : nam fui ipfius confcia natura, fi proficua, appetit, averfatur, fi nociva.

Sunt qui hafce diverfas methodos experientiâ fulciri contendunt. Certum quidem eft ufu quodam recepto prægnantibus & parturientibus venam fecari, & imperari puerperis medicamenta, ftrictamque diætam. At nomine decepti, qui huic methodo favent, experientiæ nomine appellant ufum ex præjudicio natum. Novimus mulieres, quibus, in primis geftationibus, fere quolibet menfe imperabatur venæ fectio. Illæ tertium infantem abfque ulla fanguinis miffione feliciter pepererunt. Aliis non femel in geftationum decurfu fecta eft vena. Nòn militat ergò experientia pro venæ fectione in puerperis neceffariò celebrandâ. Utilis effe poteft quidem prægnantibus quibufdam venæ fectio, illis videlicet, quæ, in toto geftationis decurfu, maximâ alimentorum copiâ utentes, nullo moventur exercitio. Si fubortis dolore capitis gravativo, propenfione maximâ in fomnum, ac corporis fegnitie, una erumpant è naribus fanguinis ftillæ, tunc cum levamine fecatur vena. Non magis de venæ fectionis efficaciâ ad partum promovendum conftat; fiquidem illa etiam ad præcavendum abortum præfcribitur. Hæc autem conciliare arduum eft, nì fallor, ac difficile.

Idem ferendum judicium de efficaciâ falis de *duobus*, quo veluti fpecifico, indifcriminatim condiuntur puerperæ. Qui verò puerperæ ftatum attente perpendit, illius utilitatem vix concicipit. Uno ore profitentur omnes ex leviffimâ causâ irritante convelli puerperas : motus excitat tumultuarios odor floris ingratus, iidem ex animi pathemate oriuntur effectus. Numqnid verò ner-

vos irritat & naturam exaſperat ſal de *duobus*? Certè non rationum momentis ex rei naturâ depromptis fulcitur illius uſus; & procul dubio pauciora partui ſupervenirent incommoda, ſi nulla puerperis aut ſaltem non niſi lenientia remedia adhiberentur; unde concludimus.

Ergo prægnantibus, parturientibus & puerperis nulla, aut ſaltem non niſi lenientia remedia.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. simon-Antonius BRINGAUD.

M. Joannes-Baptiſta THURANT.

M. Joannes-Iacobus MESSENCE.

M. Claudius-Joſephus GENTIL, *Militarium noſocomiorum ad Regis exercitum Medicus.*

M. Ludovicus-petrus-Felix-Renatus LE THIEULLIER, *ſaluberrimæ Facultatis* DECANUS, *Regis Conſiliarius & in majori Conſilio, nec non in magnâ Regiæ Domûs & Franciæ præfecturâ Medicus ordinarius.*

M. Carolus-Franciſcus THEROULDE DE VALLUN, *Eques.*

M. Edmundus-Thomas MOREAU, *utriuſque pharmaciæ profeſſor.*

M. petrus-Ludovicus-Maria MALOET.

M. Anna-Carolus LORRY.

Proponebat Pariſiis JOSEPHUS-IGNATIUS GUILLOTIN, Santo, Doctor Medicus Rhemenſis, nec non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus A. R. S. H. 1770, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi 1770.